



l. Germ. C
147



C. F. Hoffmann sculp. Dresd.

H. Germ. C 160^b

~~C. Rhein inf 124~~

SECUNDA
SECRETISS^{MA}
INSTRUCTIO

Gallo-Britanno-Batavæ

FRIDERICO V.
COMITI PALATINO
ELECTORI
DATÆ.

EX GALLO CONVERSÆ, AC
BONO PUBLICO IN LUCEM
EVULGATÆ.



ANNO



M. DC. XXVI.



*SECRETISSIMÆ INSTRUCTIONIS
GALLO-BRITANNO-BATAVÆ
FRIDERICO V. COMITI PALA-
TINO ELECTORI
DATÆ.*

I.

Serenissime Princeps, Alumne Ca-
rissime, à fidelissimo tuo Educatore exerci-
tato milite, & versutissimo Politico, docu-
menta non ita pridem nactus eras non Vul-
garia, quæ si observasses, Rex mansisses, Cæ-
sarem domuisses, de victoria triumphasses, honorem ac po-
tentiam tuam stabilivisses, sed audi denuò Educatorem,
Magistrum Clientem, cujus salus ex tua salute pendet,
qui prosperitatis tuæ causa nec somnum, nec quietem
capit, alia consilia, eadem linea, sed seria solide suggeren-
tem, Quibus attentis brevi res tuæ reperient vadum, suc-
cessum meliorem, optimum eventum. Per a. te Deum ob-
testor, cautius secreta hæc, quam solitus es, custodias, nec
ulli, ni funditus perire malis, improvidè exponas.

II.

Regno pulsus es, à confœderatis desertus, ex impe-
rio proscriptus, & universo orbi fabula factus, cum con-
juge

juge & liberis exilium alis. Cum paribus non vivis, res tibi nemo, superiores omnes. Frueris aliena quadra, quantum à misericordia ductis tibi erogatur, tantum habes, stipem majorem petere non licet, etsi fato ista fieri ad animi solatium credas: magnanimitatem n. à pueris in te non depræhendi. Pompejus prælio victus, cum paucis ad Prolomæum Regem Ægypti confœderatum confugiens, ab eodem interficitur. Hæc tecum perpende, & Historicum tuum rogabis.

III.

Si unquam prudentia, certè in tuis jam desideratur actionibus, quâ provincijs & regno potiaris, imò opprobrium majoribus deleas. Ceu enim per errorem factus, ita errore desisti Rex, ut quomodo tibi actum, nec hodie noveris. Omnia aliorum operâ, pecunijs, consilio, agere oportet, tibi nihil superest, quam quemlibet venerari, singulos ad tui commiserationem commovere, etiam fordidos, quosque licet. Rex dicaris, suspicere, à vilissimis sæpe hominibus gravissimæ injuriæ ferendæ, quod nisi facis, victum non habebis. Ad bona per leges Imperij redire non potes; Ab Ottone III. ad Ferdinandum Cæsarem usque inter omnes Electores proscriptos, præter unius pristinam dignitatem soboles non recuperavit. Francisci I. Galliarum Regis proles Valesia mascula, quod Turcas contra Christianos adduxisset, non solum deletur, sed ipsius.

Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Tu tuaq; quorum locum teneatis, exitum expectetis. In corpus tuum liberè sævire cuivis concessum est. Sicarios timebis non subornatos, sed ex justo dolore suorum tibi insidiantes, nec victimam Deo pinguiorem se-

mactare posse, credet, qui te tot millium innocentissimorum sanguinem, ex mera regnandi libidine profundentem, obtruncarit. Imò tanquam de Catharinate gloria-
birur. Cautionem itaq; à nobis, Magnificentiam ab au-
licis, fortunam à defunctis discès, atq; utinam legendo,
non experiendo.

IV.

Tria igitur hoc rerum statu circumspicias hominum genera: Iterum inculco. Hostes apertos, Amicos veros, & qui sunt ficti amici, vel tecti hostes qui omnes inter du-
bios numerandi.

V.

Hostes aperti qui sint, citò nimis sensisti: Cæsar, Domus Austriaca, Hispanus, Bavarus, Pontificij ad unum omnes: Saxo & qui his sine fuce & fraude adhærent; quantum militem, Duces, arma, com meatum conscribere possint, itidem tenes. Sumptibus magnis pollent, quos non minuunt, sed augent nullis pareunt, in erogandis non liberales sed munifici sunt. Si vacillas, Duces tuos unitos adi: Sæpius vinci possunt, tardè debellari possunt. Te cucurbitam cogita, quæ citius quidem crescit, & ad cacumen aliarum fruticum penetrans, eas obnubilat. Austriacatum annosa Pinus multas hiemes, æstus, variasq; calamitates pervicit, & adhuc integra persistit. Tu vero ad primos rigores minus audaciæ habebis, cum & folia concident, & vigor omnis aderit.

VI.

Quodq; ijs opponas est vel fuit nihil. In Palatinatu: concilium bellicum præinopia habere nequivit, nullum terrarum hereditariarum trigurium duplo non venditum, debita quasi refundere teneberis. Sed quid me moror? Quo vivas, panem non habes. Defensores autem adsci-
scere

scere est subditum se componere, Nosti Cyrum à Caribus advocatum, Cariam libertate exutam sibi obædientem fecisse. Et sanè stolidum negotium esset, proprijs armis & sanguine parta spectanti forte elargiri. Pudore tangereris tale quid postulare, cum aliud responsi adipiscaris, non futurum est, quod lepus ab Echino hospite; Si tibi molestus sum, exi.

VII.

Amicos tibi nullos scito. Amicitia præstare officia, nequis sique quos habueris, tecum perdidisti. Liberi, qui omnem reverentiam Parentibus debent, hæreditate debita se defraudari à te quæculantur, maculam inuri, cunctos sibi infestos reddi, cum proscriptorum filij recepti, se, genitoremq; vindicaturi præsumantur: Tua delicta luituros, nec vanè conijciunt, quæsi forte contentus, nunquam sperassent. Sibi Magnæ Britannia hæredem Elemosynas quærendas, Teque suo hortatu ad Regnum Bohemia animatum, cum vir sciveris. Ottocarum Bohemum conjugis superbiâ contra Austriacos instinctum, vitam amisisse.

VIII.

Socer Britannus amicus non est: Quod verius quam credibilius, senties id tum ubi, acta perpenderis. Primò. Tragœdiam tuam semper averfatus fuit, hostiq; in Palatinatu non resisti, suavit, donec is impetum faciat primus. Hinc Te regio titulo nunquam dignatus, sed in facto & re mali exempli versari conquestus est. Secundò. Clarius etiam odij sui signum jam ostendit, cum te Exulem hospitio recipere retractat, quod extranei infantum tuorum vagabundorum miseres voluerunt. Multa spondet, pauca præstat, gladium accingit, nondum evaginandum attigit. Status enim in tributiones pro te

A 3

conscri-

conscribunt, ille interdicit: Si Parlamentum cogi urgent, ille indies protelat, scilicet ne & ipse, vel Anglia, vel Scotia exulare cogatur. Natura enim Scoti & Angli gravissimo odio inter se ardent, alter alterosque præ se contemnunt, ut lubentius invicem seidam, quam familiaritatem cupiant. Si jam rebellionis tuæ subsidium Britannus pararet, exemplum contra se statueret, ut id approbet, quod subditi tam diu desiderarint. Sin minus, metuendum ne miseriam tuam prætendentes invicem resiliant, & vel alterutra gens, Te, alias ab uxore heredem, Regem contra focerum, sicuti Bohemi adversus Cæsarem petant. Ut quoquò se vertat Britannus, demum Vorckes & Lancastoris antiqua bella inclament, periculum sit. Si jam Socerum perire facias, nec sic auxilium polliceberis, cum arma inter semetipsos ad defectionis vindictam movebunt.

IX.

Multò minus Hollandos fidos, amicosque existimabis. Eorum enim necessitudo in fœdere consistit Inæquali. Jccircò Romanorum consuetudine invitati, dent operam ut mandant, artificio ad hoc satis æquo utentes: Militares impensas à sua parte exactè notare, in odium Hispani, & amorem Religionis pauca delere, de omnibus, arrepto pignore, usuras sumere, summæq; subinde adijcere. Ita sunt Confœderati, Hypothecarij, Usufructuarij, Domini: Sensit id non ita pridem Collega tuus, qui licet fidei socium in illorum gratiam sese mutaret, ac ubiq; exclusis Competitoribus terrarum, Juliensium Dominus præclamaretur; Jam servus est, nihil possidet quod illi non possident, nihil agit, quod ipsi non mandant, imò pro
nutu

nutu quovis loca cedere debet; si de eo conqueritur, impensas urgent, quas cum solvere non potest, omnia pati cogitur. Quid de Te sperabis, putas Hollandos moribus suis non esse usuros? Modò tu aliquid haberes quod capere possent, cum nihil detines, nihil juvant, nisi quæ aliorum interpositâ fidejussione frigide agunt. Henricum Nassovium exploratum miserant, num rem suam in Palatinatu stabilire possent, quod cum non deprehenderent, revocarunt, non sine minimo incolarum damno, ut satius illis fuisset, duos Spinolas hostes, quàm unum Nassovium amicum ferre.

Præterea Reipubl. suæ periodum agi timent. Induciæ finitæ sunt, civiles dissensiones sopitæ, non extirpatæ, semper recrudescunt; Uraicus de dominatu illis suspectus. Gallus & Britannus, quorum præsidio Hollandi hæctenus vim Hispanicam unicè evaserunt, cum Hispano matrimonium nectunt, utrumq; hostile machinantem, vident & palpant. Jurato mihi Batavi nostri affirmarunt, nunquam tantam militum, armorum stratagematum potentiam in Belgio Hispanum habuisse, quam jam sibi comparet. Omnem ergò operam navant Belgæ, ut adversus hæc satis se muniant, illis viribus non pares sed superiores sint, ne alijs inserviando ipsi consumantur. Ingenio porrò per quam avido sunt, & ob id inconstantes: Si diutius cum illis converseris, vilesces, sibi que cavere incipient, ne cum Socero aut Gallo contra illos rem agas. Semper Cæsarem Dominum animo volvent, sese socios meliores non credent. Proditorem Imperij eadem temeritate & Belgij judicabunt, ut insperatò Te ad Venetos, vel aliorum discedere jussurint. Et quid succurrerent? Quin tui commodi sunt
Opitu-

Opitulatores, proprij sunt destructores. Varijs enim artibus, & magnis animis ad occupandum Europæ Imperium aspirant; Tu formam & modum illud administrandi dudum tibi præsumpsisti.

Inter corrivales quomodo amicitia fovebitur? Mansfeldium cum exercitu, non tui bono, sed sui conduxerunt, sibi fide devinxerunt, licet tenui adhuc stipendio alant, reliquum à civitatibus emungere oportet easq; contra Te exasperare tibiq; infensissimas reddere. Cum per hyemis incommoda Hispanas in Belgio quiescat, ibi cum Tua devastare concedunt, instante vere quemlibet, prædæ loco, tuis relictis, ad se venire jubent, & contra Hispanum militare; ut nunquam majori injuriæ subjeceris, quàm Hollandorum confœderationi.

X.

Unde & quantum Mansfeldio, ministro tuo fidentum, ad cujus solam nominis mentionem Rex caput nudas, concludes. Miles est, stipendium amat, qui plus dat, illi prior servit. Tū cum comes sis alieni æris, & ipse alaris, nihil dabis. Ille nihil magis quam verba infestat, rem cupit, argentum petit, quod si actutum non adest, aliò commigrat, nihil fidei Sacramentum morans. Ita jam olim Austriacos beavit, brevi alter tu succedanius eris, præludia, cum ad Venetos recurrere vellet, observasti. Quid? sibi prospiciendum, ne mutuò abs se petas, de cujus solutione postea desperare oporteat. Nec expedit tibi ejus longior mora, ni victoriam hostibus vendi velis. Sola Bavarica protectio restitit, aliàs modò factum, fuisset; Expectandum est tibi, quid ante discessum molitur. Eò citius enim in transfugis refrigescit benevolentia, quò gloriâ & potentia major est. Duces, auri fame infecti.

infecti, jactantiam mutum valent? vitam deperiunt, in primo autem certamine & conflictu cum hoste parâ victoriâ, magnum ad terrendum hostem & reliquum bellum conficiendum, momentum adfert, hinc, nisi me fallit augurium, exuvias Pragenses meditabitur, eoq̃ major tibi eludes.

XI.

Avunculum Danum, nec amicum scias. Facto enim tuo non potuisse adducere ut conniveat, instanter & multis quamvis literis egeris, quarum exemplaria inter Secreta Pragæ infeliciter relicta, quidem offensa, responsionis a. nihil repertum. Cum conscriptis in Holsatia copijs, restitutionem tuam moliretur, à Cæsare de atrocitate delicti tui plenè informatus, eas solvit, & jam de proprio regno augendo occupatur. Idem de Svveco senties. Prorsus quippe in terminis illicitis, & consequentiæ funestæ, Monarchici Status Principes te animadvertunt. Pacta treuga cum Turcis, Polonus omnem militiæ florem contra Succum eduxit, in quo propulsando Sueonum potentia laborem persentiscet. Dani quoque clandestinas machinationes ubiq̃ hætenus tali occasione frui, metuerentur. Imò internæ seditiones, ne ab altero aliquo Siciliæ Mansfeldo, in alienis acquirendis negotiosus, ceu Sigismundus à patre Carolo excludatur, expavescendæ. Satis itaque, modò poterit, sibi invigilare habet; Hostem non contemnendum, nec securè expectandum à Te discedet. Proprias ædes nemo igni committit, ut aliorum liberet.

XII.

Dux Sabaudiaë quem Regem Romanorum eligere contendebas, non est non inimicus. Hujus Polypragmosinē
B quon-

quondam deplorabas, ne jam mirare quod Cæsari contra te ultra suppetias obtulerit: Vt serio impediebas ne a Bohemis Rex eligeretur, serius ager ne tu recipiaris: Verfuturæ singularis tibi ducebas, cum cum spe inani lactares, prudentiam ipse existimabit se deceptum probe ulcisci. Opinaris ne Sabaudum tam speciosum tempus Genevam occupandi deserturum, si ab Austriacorum parte strenue stet, Leopoldumque multis modis demereri nitatur. De Helvetijs quæ expectes, si stipendia denegas nulla sunt, opem ferre sua pecunia nequeunt tum cum volunt, alienis solum vivunt. Cum illis contra Leopoldum succurreres, haberent quod aliquando redhostirent.

XIII.

Quid dicam de unione tua, cujus tu capo eras modo ne cauda quidem es, illa tibi fidelis, ut tu Cæsari amicus: Vitam, animam, corpus, bona & omnia tua ei credebas, illa nihil plus egit ut fidem periculosissime tibi falleret. Hostes putabas propulsuram, hospites sponte intromisit: Spinolam credebas straturam, amicum amice excepit; Septemviratum rebaris protecturam, hypothecam liberaliter præsentavit. Et hæc omnia non victa sed victrix. Pudet Batavos, Vnitos fungos in foedus unquam recepisse, ne Hispanus de ijs conijciat quod in socijs expertus est. Verum quæ jam eorum actio? Cæsari reconciliati te eiûant, illius exercitui trajectum, lustrationes consumptionem concedunt, commeatum exhibent, arma contra te subministrant: Cum & ipsi sumere iussi fuerint parati astant, prorumpunt, irrunt, ut nunquam nocentiores hostes habueris. Hos jurabas intimos: Est forte unus, cui fors tua doleat, & quasi recessa-

no-

noctua prorerat, aliud tibi præstare non audet quam
ut fabulæ spectator sit, quo carere facile posses credo.

XIV.

Ad principes alios & urbes Germaniæ devenio.
Proh! quod odia, inimicitia, diræ ibi in te sunt! Undi-
quaque Macrinum, Catilinam, hostem & proditorem
communis patriæ te clamant: Diabolorum legionem si e-
vocare posses, saltem tibi potestatem deesse arbitrantur.
Qui de te audit, te execratur. Hic nihil quod tibi pro-
desse queat. Imperium bello inflammasti, quisque non
exteros sed vicinum timet, nec finitimus à finitimo tutus:
Capiuntur anguillæ aquis conturbatis. Hujus tu primi,
causa mali. Noli tibi persuadere centum ora centumque
linguas habeas, ullum Lutheranum aut Catholicum fore
posthac amicum. Sponte & invitum credere periculo-
sum est, aut ad pristinum statum te aspirare missurum:
Utrique interitum viribus recuperatis à re vaticinio præ-
dici benè præsumunt. Rerum hoc statu adversus
injurias metuendas flebilæ advocatiæ auxilium quærent
urbes inferioresque status, qui libertatem hucusque
acriter tutati sunt. Noribergæ, Vlmæ senatus quo-
tidie expectant, plebs cum rationes unitæ sparsæque
pecuniæ à se postulaverint, statum everserint ac civi-
les motus concitarint. Cæteræ respubl. idem de se
sperant, cum illarum exemplo credulus vulgus ex æra-
rio tibi opem Proceres facere persuasum sibi habent.
Mirificè id gratum plebi, contusa patriciorum intolen-
tia, regimen ad se derivare, Consules senatoresque au-
dite, Egentes & obarati cives spe spoliiorum illecti

Iubentissimè à principijs esse satagunt. Amicitiam, gratiam, aut beneficentiam propterea ab illis insuper præstolaris.

XV. Regem q. & Heptarchum sine terris te considera, cuilibet exosum, amicos nullos habere vel supremos, meduoxumos, imos: plurimos sibi malum à tui confortio metuere, faciendaq; illa omnia quæ exulibus commendavit quondam Cicero.

XVI. Nunc quid agendum sit vides. Etsi satis per te sapias, & Consiliarios habes versutos callidosque, tamen & hæc nostra proderunt.

XVII. Ingenium geris ad novationes pruriginosum, innovata a. gubernare non didicisti. Cum suppressus sis habebis quod te erigas. Usus simulatione tuis dissimulationeq; Et quanquam artes hæ jam communes sint, naturam tamen expellas conditio tua non finit, illis proinde insistendū cenſeo. Obreperunt a. nonnullæ spuria, quas nisi deponas, ægre non evelli diffiteor, frustra erit, & infausus omnis ausus. Prima est superstitiosa persuasio: altera supina insolentia. Ultræque profugo damnosissimæ. Religiosi conceptus non Regem decent, sed circulatoribus relinquendi. Major pestis haut nata est, quia actiones & salubria reipub. consilia pessundantur. Tuorum decipulum est, quo te Prophetam divinitus missum Imperium Romanum occupaturum, adeoq; sine terræ absorptione, nemini resistendum alijs persuadere studebant; jam proprijs retibus in exitiosam tui securitatem intricaris: rictum pandis, alius intercipit. Constantinopolis veteri vaticinio inhærens misere deleta est. Hoc moneo, ne si inescaris perpetuum tibi exilium jucundum videatur.

XVIII. Elato fastu omnium odium magis in te cõcitas. Fastuosa

osa n. paupertas temerarium facit, quem cum nemo te
salvo hospicio excipit, ex profugo Erro fies: Hostes
acerbiores dabis, Collegas exasperabis. Tandem eo re-
curre, id cupidissimæ petas, quod paulo ante nimia,
pertinacia atq; arrogantia contempisti. Qualis fuit ille, cū
Cæsar delicti veniam polliceretur modo culpā agnosceres
& eam deprecareris. Odiosum est victum victori leges præ-
scribere velle. Cuncti norunt & ea de re originalia tenent,
te per biennium perpensa digessisse deliberatione, quo pa-
cto Cæsarē Bohemiæ regno eijceres: ille nihil sinistri suspi-
cans, spem salutis in te collocat, lupo ovem committit, te
interpositorem belli eligit, quod per Bohemos cum eo in-
scio gerebas. Quam paterne, quàm amice una cum cœlecto-
ribus tuis te admonuit, petijt, imploravit, ab injustissimo
hoc facto desisteres, Cæsaris Cæsari redderes, nec magistra-
tum tuum tam miserè sine culpa bonis privares. Tu cœ-
lum cum terra commixturus, Turcas, Tartaros, Hunga-
ros, Transylvanos, Hollandos, Venetas ad prædam vo-
cas, non solum Cæsaris sed omnium ordinum ac totius
Imperij illis spondes, imo ad majorem cautionem pro-
pria oppignoras. Anne prior læsisti? Culpam fatere,
pacem honorificè à victore oblatam amplectere suadeo:
calamitatem exues, egestate liberaberis, subditos refocil-
labis, corpus & vitam tueberis, & ad amissa non solum sin-
gula sed plura pervenies. Plus amor acquisivit quam
arma sperant: Ac certum est callem te ad Imperium para-
se si feceris.

XIX. Inconsideratum est, te fortunæ præsidium
desperationem fingere. Cave sis & semper monitor summe
Austriacos. Catholicos, Saxonem ad eam adigas, quod si

B 3

neglexe-

neglexeris in Germaniam pedem per vitam non pones. Vbi pax solita secundum leges regni pollicetur, deestq̄ iustitia causæ, infelix & truculenta & desperatio, quam senties si de eo quod tam inconsulto desperes desperare occæperis Bohemi cui præceptores erunt.

Illud tam fortiter non detracta, genua coram Cæsare ut flectas. Te subtilem quandam basiationem facere cogita (oportet moribus tuis accommodare memē) aut investituræ renovationem eadem opera pete. Morbum mentire, & fellæ insidens culpam profiteri. Ita Wurtembergicum Carolo V. reconciliatum, tenes. Regium titulum mala fide, vi & clam possides. Nec Reges Bohemiæ id unquam averfati fuere. Imò ipso quod te regem Bohemiæ jactites nihil luctuosius si intermittas. Ottocarum cum ad pedes Rudolphi Habsburgensis Imperatoris, Austriorum fundatoris se abjecisse pœniteret, ultor in bello occubuit. Mutari nescium spe majoris emolumentis æq̄ ferendum est, Artes itaq̄ nihil profuturas desinas.

XX. Et ad simulationem te accingas, sed circumspectissimè. Itaq̄ rectè fiet quod deliquisse fatearis, veniam petas, subjectissimum Cæsari vasallum collegis sodalem fidissimum.

Posthac te edicas contritum te geras & simplicem & apertum. Interea versutissimo astu machinare quomodo Cæsar sit in tua potestate. Sic n. Rex Romanorum cito eligeris. Verum sic considera non esse austrios ad desperationem adigendos, nisi simul capi aut sterni possint. Cōsiliarios Anhaladinū, Camerarium aliosq̄ apud externos fac degant, ut semper tamen consilia eorum securis internūcijs in promptu habeas, novos substitue minime suspectos, quibus

bus

bus alimenta porrigas ad secretiora nunquam adhibeas, licet cor tuum exploratum se habere opinentur provide cures. Te fac ubique tristem videant, & præ nimia pœnitentia pusillanimum, Cæsaris clementiam plus quam paternam deprædica, fatalia omnia fuisse deplores. Ex proprio tamen territorio assume. Nullam enim pecuniam ordines Catholici corradent, quam non ad actiones tuas cognoscendas impendent, Ante omnia videndum ne indiscrete mediatoribus utaris, quamvis facilis sit reconciliatio. Saxo tibi recta adeundus, verbis humanissimis & sericis planè tractandus, te filium & collegam agnoscat, pro te apud Cæsarem intercedat, Catholicis ne credat. Eam ob causam foceri tui Britanni legatum subornabis, ac Pacis concordiaque spem ampliter ostentare, pontificiorum machinas periculose demonstrare rogabis, ubi Anglicanae proderunt plurimum. Illumque cum Saxonis, Franci, Dani nuncijs Cæsarem adire providebis. Ad conditiones si ventum fuerit, Regno Bohemiae & incorporatis provincijs pro te & liberis in perpetuum renuncia: Duos Silesiae ducatus tamen cum titulo, Domini partium Regni Bohemiae excipe. Bavariam cum injectis banni impensis Bavaro concede. Tu Palatinatum accipe, & votum inprimis in collegio Electorali tibi ut remaneat labora, alias Rex Romanorum non eris. Si vis attolli deprimi debes, nihil est gratius quam perditis una vice potiri, confœderationem desere, Betlemum Gaborem cave atque linque.

X X I. Expiato, de repetenda Bohæmia & Bavaria confestim cogitandum. Ipsumque ut fausto fulciatur successu es ardua tentanda. In magnis re-
bus

rebus & confectu incredibilia confidenter aggredienda, Lutheranus fias oportet. Necessarium magis quam putabile. Veritatis vero satisfactione tutus eris cum ad cætera animum advorteris. Facile quibus si cupis, cupias autem ut Monarcha Romanus fias: Hoc enim solo remedio plus contra hostes poteris quam omnium tuorum exercitu. Hoc servato te servabis, neglecto te negliges.

XXII. Indubium est profugos privatos facultatibus post reditum dedisse causam novis motibus.

— — — — Regnabis sanguine multo
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Tutius g. esse ejusmodi hostes, cum amici haberi non possint penitus contundere, Cæsaris & Pontificiorum vox est.

Tullius accusatur, quod Catilinam urbe ejecerit, cum in ipsa civitate eum debuisset opprimere, accedit aliud quod hoc gravius interpolit: nosti quantis conatibus, diversis tormentis & calliditate, hætenus Pontificij id egerint, ut Calvinianos ex imperio pellerent, in quo per tolerantiam, nulla lege opitulante tam diu passi fueritis: Quid non susceperunt ut Lutheranos vobis infestus reddere invicemque divellere possent? Quibus in comitijs non urserunt, ut edicerent an reformati sint Augustanæ confessionis status: Apud ipsos qui hæsitat anathema est. Et sane avus tuus, in longis precibus Saxonis defensionem nactus esset, initium & finem vobis in imperio cedisset. Fuit in scopum nunc unionis fœdus ad tutelam ut putabatis vestram pactum, quam quam bellè vobis in perniciem ipsimet solveritis, hostes manibus pedibusque plodunt. Jam vero Saxonum apertum hostem habes, à quibus reliqui Lutherani catenatim dependent: Ab illis desertus. Cuculum
futurum

futurum te oderunt: Imo vos inter vos divisi, exitum vestrum præstolamini. Nec ignorant alterum bolum se fore Lutherani, sed invidiâ in reformatorum astus & technas flagrantes, futura pericula non æstimant. Germani enim in universum protestantur, nefandos tuos ausus ex unico principio pullulasse reformatâ religione, quasi illius natura sit. Non posse premi, velle superbire, & semper si non blanditijs, cum crudelitate ad primatum aspirare.

XXIII.

Hæc omnia & singula uno impetu abs te proijcies, causam illius si quando abjeceris. Animorum fortius vinculum non est, quam in ejusdem religionis placitum concordans consensus, maximè ubi unius potentiam altera reformidat, nihil socius de socio male suspicatur, omnem cogitationem ad adversam dirigit, ne obruatur. Si igitur religionem variaveris, animum variasse præsumeris, ac ab inimicis tutus eris. Nec Bohemi, te Regem, nisi hac Machæra pugnes iteratò excipient. Quippe non amplius eos de animo tuo servos sese tractaturo, latet: Quicquid imaginum disturbance moliebaris, viderunt. Quæ ergo sub Austriacis habent deteriora à te non exoptant. Omnium calamitatum inter ipsos & Austrios fax & tuba est religionis inversio. In qua tuenda Bohemi efferi sunt, contumaces, truces. Discas id ex Hussitico bello, cujus commonefactio finitimis terror est: Præcisè g ab ulla fidei turbatione immunes esse volunt, ut vel Cæsarem spe solius metus, ne sibi quod Stirijs eveniret, expulerint. In quo non solum contra datam pollicitationem, sed ubi fidei regia nondum incalueras, peccasti. Quid ergo firmata

C guber-

gubernatione sperassent. Fictionum a tegumentis spha-
ma tuum obnubere duxisti omnino intempestive. Blan-
ditia n. contra pactorum violationem immanem arguunt
crudelitatem futuram; Ac plus urit mordetq; in luculen-
ter pravis persuadere velle, quam compelli & cogi sibi pa-
rere; Unde qua via advenisses, eadem excedere ipse tan-
dem aliquando coactus fuisses. Verum & hæc sponte a-
moris potentia cadent, si penitus illorum te religionis sol-
durium audierint. A Saxone Patrono suo sensim ad te re-
cedent, cum quod ille fortè inficiaretur te promptè susce-
pturum confidant: Austriacorum videlicet suppressionem
quorum imperium non possunt non ferre in tempus lon-
gius. Breviter: Lutherani candidi habentur, re & verbis
aperti, sine fuce & malo genio, adq; exemplar veterum
Germanorum per omnia compositi, Tali quopiam frau-
des tuæ abstergendæ.

XXIV.

Quæ quo tectè magis & sub veri specie peragantur,
uteris in reformanda aula Saxonis Concionatoris aulici
opera. Nihil intermittendum quod ad suspicionem le-
vandam quicquam facere possit. Conscientiam ne atten-
das, faucia etiam hunc ictum tolerabit. Inveterata & gra-
veolentia vulnera sanari non possunt, ni recens illis infli-
gatur. Eadem facilitate qua Neoburgicus Catholicus,
Brandeburgensis Calvinianus ob unum Juliacensem duca-
tum, Tu Lutheranus ad tempus totum Romanum imperiū
subijciendi causa fies, quid? quod de cæna dogma fidem nō
infringere scias. Cum Hollandis & Britanno actum trans-
actumq; expedite erit, ne interim hoc ægrè ferant, nō posse
n. alio modo in Germania tibi amicos parare. Saxonem de-
merere, venerare, cole, simulationē tuam prudēter exerce.

Infe

Inferioris Saxoniae principes tibi devinci. Cuncti n. aliquos officiales etiam militum duces habent reformatæ religionis, per quos egregiè tua expedire potes. Idem in civitatibus per Syndicos & Secretarios agendum. Uno verbo: Missis aliorum auxilijs per Lutheranos in Imperio tibi assurgendum.

XXV.

In Silesia post merces exponendæ; Ubi in binis tuis ducatus clandestina conventicula cum Bohemis, Silesijs, Moravis habebis. Confœderationem serio inculces, perfidiam quod tam foede te deseruerint cum ad Uraislaviam novum militem colligere volueris taxes. Etsi ex animo illud non senseras; sed nil carius quam uno saltu in Belgium transvolare; Tuarum ærumnarum authores esse: Attamen hæc commutabilia te nihil curare, sanctissimum fœdus sanguine confirmaturum, violatores Deum vindicem severe experturos, deq; dexteritate & conscientia tua protestari ne fatigeris; Tyrannidem Hispanicam sedulo rimemini, Jesuitas ultores ejuretis, lanienam Pragensem detestemini: omniaq; ad novam seditionem facientia molimini. Ubiq; illos promptissimos reperies, Austriacumq; dominatum abijcere ringentes. Et unica causa est quod Betlemum Gaborem cum Turcis Moravi tam spontè receperint, quod Turcicam servitutem quam Austriacam, libertatem satius ducant, licet Turcam truculentam nunquam nesciverint.

XXVI.

Rebellionem ob Religionem moveas. Hæc tibi multo felicior quam prior ob regionem. Vel sola Hussitarum ad ducentos annos in Bohemia multis & magnis privilegijis frequentatorum expulsio instituto

tuo sufficeret? Ad Saxonem g. quotidie querelæ religionis fac deferantur: Ad iram quò commovens, contra Cæsarem inflames, se pacta rumpere audeat. Silesios, Bohemos, Moravos, anima & corpore perdere. Quod ea ratione, si acriter instent, ejulent, plangent, lamententur, haut difficile obtinebis. Integer enim Saxo cupit videri, & cum quadam animositate ex æquo sine respectu cujusvis personæ, justitiam tueri: Lutheranae Religionis vindicem se gerit. Ita æstro percitus gladium stringet, Circulum inferioris Saxoniae, vi singularis fœderis, advocabit. Civitatum Hansaticarum formidabile robur implorabit, pro libertate Germaniæ pronatruus Mauritius pugnabit. Ac ratio fuit, Mauritium, Carolum V. à quo electuram retrò paucis annis acceperat, bello petijse, quod liberationem Landgravij sibi promissam detrectaret. Ad hoc non parum proficient dubiorum ex pace Religionis articulorum decisio; Camerae visitatio reformatioq̄, ac aliorum gravaminum in imperio moderatio. In quibus tu buccinator concitatorq̄ eris probus. In hoc negotium inter Danum & Saxonem fœdus feriat, machinare: Suecum contra Polonum anima: Et novus socius, de Lutheranis actum undiq̄ clama.

XXVII.

Hæc quò celerius cernas, citius contra hostes arma deponas, nec victoriam pontificiorum interturbes: Eo namq; insolentes efficies securitate illinibisq̄: Pisistratus cum Athenienses juberet bono animo esse, & ad suam quemq; abire, tertio Athenis potitus est; Imò jam dum medio bello vindictam tuam rideat. Sperasne tamdiu exoptata occasione rebellem Bohemiam, Stiria, Carinthia. Cerniola morigeris mitius tractari. Condonatio Bohemica

mica

mica generalis id minime operatur, ut religionis libertas specialissima inclusa censeatur. Etiam pactum contra conscientiam initum, sine dispendio salutis, non servatur, quamvis sacramento corroboretur. Quid illud quod cum Archidux Ferdinandus, modernus Imperator, paucis quibusdam in Italiam, ut fama erat ad principem Ferrarensem abiret, Papam Romæ simulq; inviseret, ab eo mensa prius non dignatus fuerit, antequam cœna dominica ab ipso administratâ, promiserit, se Lutheranos ex provincijs suis expulsurum. Hussitas intuere.

XXIX.

Bello sic concitato, exercitum suum Bohemi tibi cedant provideas, eo domabis & illos, nec aliter Rex eris. Hic celeritate tua tibi opus. Ipse in castris esto: Dux tuus potentior te erit, si pro te bella gerat: Imitare Childericum IV. Francorum regem, qui cum luxui deditus, per alios rem ageret, post ex exilio à subditis receptus, forti & propria manu optimè regnavit. Militem cole. Imprimis contra hostem securus esse noli. Ab esu cancrorum abstineas, quando hostis propullandus: Prælium Pragense recole: ipse tibi sis monitor prioris fortunæ. Johannem Zisecam age, sterne, funde, rape, quæcunq; obvia, Bavariam repete: per rumpe ubi non expectabaris. Deniq; hoc memineras, jam tempus esse, miseriam delendi, gaudium inducendi. Hoc semper diximus, Si unum pagum, unum vicum Bohemiæ ad homagium compuleris, omnes subijciendos, audacter perge. Pragam cum exercitu intra, nec eum dimitte, priusquam Rex denuò proclameris, fidelitatemq; juratam acceperis. Semper tu turmas aliquot paratas retineas. Militem tibi devincire nulla re parcas. Ita Roma imperatores salutavit, de quibus nunquam cogitaverat.

XXIX.

Aspersus fortunæ lufus tum eliditur antea possessis
 plures cum adijciuntur dignitates. Lapis movendus quo
 Rex Rom. eligaris, Celsius tibi acquisitu nihil, De quo sic
 habe. De innovanda pace Imperij cum constituetur, &
 recentia odia in Austriacos adhuc vigent, live in castris,
 five in Comitijis proximis id fiat, ad salutem Imperij ma-
 jorem conducibile proponas Imperatori consortem face-
 re, ne postea bella & clades Germaniam de novo dilani-
 ent & pessudent. Cæsar licet nolit, vi capitulationis Cæ-
 sareæ tenetur, Cujus liberos juventute in tantis motibus
 incapaces esse: Agnatos Leopoldum & Carolum cleri-
 catu. Et digitus eo intendendus, ne Austriaci Imperium
 Hispano præscriptione hereditarium transcribant. Bohe-
 miæ imitatione, cavendum, Libertasq; Germaniæ misce-
 re ex teris subjugetur. Deinde lege Imperij Germanus
 est sublimandus isq; ad recuperanda ablata & possidentia
 defendenda Imperij bona potens. Reditus autem ex
 Imperio tantos non superstites unde justitia exerceatur,
 aut cursus publici ordinentur! Micæ vero Bohemicæ epu-
 læ sunt Imperatoriæ. Adhæc duorum Electoratum pri-
 mariorum tu Dominus. Tertio, Duo exinde suffragia cum
 Brandenburgensi tenes, quartum Saxo tibi suppeditabit,
 cum ei Lusatiam cedes confirmabisq;: Aut si hanc pro la-
 bore compescendi Cæsarem satagat, de Silesia nonnulla
 adicias.

XXX.

De moderanda Bohemia iterum possessa, ad nupe-
 ra documenta tibi gnaviter quæ communicavi me remit-
 to, ex quibus modum retinendi capies. Jam properan-
 dum ut celeriter Cæsari familiaris restituaris. Nam Ba-
 tavi

tavi nostri te uno die Regem Rom. & Mauritium Domi-
num Hollandorum videre ardent, quem cum liberam de
exercitu disponendi facultatem ab ordinibus extorserit,
tibi dignitate sua prævenire verentur. Contendes ut Sa-
xoni adhæreas, Lutheranus fias, bellum Religionis con-
cites. Ac cum suspicandum te captis anseribus habitum
Lutheranitati vulpem depositurum, & antiquam repeti-
turum cantilenam, cum Lutheranis quomodo agas, nec
non de expeditione Italica ubi postulaverit res, lubens,
uti possum, uti debeo fideliter consilium meum commu-
nicabo. Interea hæc cauteria ex media arte Politica
deprompta, ut alta mente recondas, inq̄ usum
& actiones tuas feliciter transferas
velim.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 1397729

160

Hist. Germ. Spec. 370

Hist. Germ. C147



[Faint, illegible text on a small white label]